



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Innocentio XIII. & Benedicto XIII. editas

Luxemburgi, 1740

XXI. Sex gradus Magisterii pro Provincia Mexicana Eremitarum S.
Augustini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74724)

re. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo secundo, Quarto Nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

XXI.

Conceduntur sex gradus Magisterii pro Provincia Peruan. Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

Item auctus fuit numerus in d. Provincia a Clemente XI. Const. ed. 1720., Off. 20., P. 20. Et hujus Pontificis Constitutione sequenti augetur numerus in Provincia Mexicana.

Dat. 24. Apr. 1722. Ann. 1.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Preces Provincie, & cause preces Concensionis.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provincie Peruane Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quod cum in Definitorio Generali ejusdem Ordinis novissime celebrato decretum fuerit, ut in eadem Provincia, quæ viginti quatuor in Sacra Theologia Magistrorum Indulto fruitur, & in qua mille, & amplius Religiosi, necnon ex his ducenti jubilati, & in Cathedralis, ac Lecturis se exercentes una cum quinque Collegiis, quæ Studii Generalis Universitates existunt, numerantur, eorumdem Magistrorum numerus ad tricenarium augetur, si tamen de super Nostra, & hujus S. Sedis facultas accederet, ipsi Exponentes plurimum expedire existimant, ut tricenarius ejusmodi Magistrorum numerus statuatur, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinari, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti filii moderni Procuratoris Generalis dicti Ordinis eisdem Cardinalibus factam, attenderunt, consilio, Provincie Peruane prædictæ sex gradus perpetuos Magisterii de numero nuncupat, pro sex verbi Dei Prædicatoribus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Concessio 6. graduum pro Concionatoribus.

Clausula.

§. 2. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, &

Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictorum Ordinis, & Provincie, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanuris ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, caterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIV. Aprilis MDCCXXII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Conceduntur octo gradus Magisterii pro Provincia Mexicana Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

De augmento graduum in Provincia Peruana, & Machaonen. vide Constitutiones præcedentem, & sequentem.

XXII.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 24. Apr. 1722. Ann. 1.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provincie Mexican. Ordinis Eremitarum S. Augustini, quod cum in dicta Provincia duodecim in sacra Theologia Magistri, & quadraginta quinque Conventus, ac quinquaginta quinque Parochiæ, cum nominatione Doctrinarum, quæ pro erudiendis illarum partium Populis in Catholica Fide, destinatæ sunt, necnon mille circiter Religiosi, ac inter hos centum Jubilati, ac Lectores numerentur, ipsi exponentes eorumdem Magistrorum numerum ad vigintiquatuor juxta Decretum Definitorii Generalis Ordinis hujusmodi novissime celebrati augeri posse summopere desiderant, quemadmodum alias Provincie Peruane Ordinis prædicti concessum fuisse memoratur, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinari, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti filii Moderni Procuratoris Generalis Ordinis hujusmodi super præmissis eisdem Cardinalibus factam attenderunt, consilio, primodictæ Provincie Mexican. octo gradus perpetuos Magisterii, quatuor videlicet pro Lectoribus, & alios quatuor pro verbi Dei prædicatoribus, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Preces Provincie, & cause augendi numerum Magistrorum ad 24.

Concessio 8. graduum, 4. pro Lectoribus & 4. pro Concionatoribus.